


14  
14.  
14.

CONSILIARII AULICI  
Dris. STEPH. SIGISM.  
WLOEMEN,

---

Succincta  
TRACTATIO  
DE  
RESTITUTIONE  
IN INTEGRUM,  
CONTRA AB ADVOCATO  
VEL PARTIBUS IPSIS IN CAUSA  
COMMISSUM ERROREM NON DENE-  
GANDA, EIUSQUE EFFECTU  
SUSPENSIVO.



*Wetzlariæ,*  
Typis Wincklerianis.

1755.



## §. I.

**A**Dvocato, tanquam personæ scientia in Judiciis litigandi instructæ, partes sæpiissime Jura sua contra turbantes, & hi contra offensos, tuenda committunt, ut, quod potentiam sibimet ipsis juvandi privati amiserunt, aut amitti verentur, legitimo modo recuperent, aut tueantur: sunt enim Judicia instar fori, quo, sicut in bello vi certatur ob pacis finem, ita legitimè id proponitur, quod fini jus suum haud amisuri videtur conveniens.

## §. II.

Judex belli, repræsentat Directorem fortunæ, quæ, cum inter remunerations pertineat divinas, ab hoc non aliter tribuitur cuidam, quam regulis conformiter, quæ minus ad scopum tendentes ad insperatam sæpe viam dirigunt, ac inde metam, licet præpositam, haud assequuntur; sed eo rem trahunt, quo perperam ab uno altero, sive parte sive judice, electæ regulæ tendunt.

## §. III.

## §. III.

At utique justitia virtus manet, quæ licet non tribuat justum, tamen illud quod agens eleget: Habet siquidem ea hanc naturam, ut saltum nec faciat, nec ex linea declinet, sed causæ inserviat & rationi (sive bonæ sive perversæ) obediatur. In summa, id quod structuræ oculi fundamentum est, idem est Justitiæ, nimirum rerum sibi objectarum figura atque imago. Ex hac tam illius quam hujus oriuntur regulæ compositionis, quo inde utriusque perfectitudo exactam inter se & objectum requirit harmoniam.

## §. IV.

Equidem me non fugit, regulas secundum quas dirigitur visus, vel in se ipsis continere fundamentum, cur res quandoque aliter videantur, quam re vera videri deberent: ubi nimirum vari motus &c. visum decipiunt; nec fallor, si dicam, visui quandoque quid deesse, quod integrati corporis (politici) accedit, quod certe tale robustum non foret, nisi eum defectum oculus sentiat. Interim justitiæ tamen nihil decebet, ne regulas observet ad metam harmoniacæ directas, quam aliam semper invenit, qui suæ metæ regulam non conformat.

A 2

§. V. Ad-

## §. V.

Advocati igitur aut partes sibi vel judici, non Justitiæ imputent, si metam lineis ad eam non directis haud fuerint assequuti, sed aliam: Justitia enim hactenus salva manet, nec favet ei, qui sine jure jus alteri aufert, quæ magis semper parificat jus unius erga jus alterius; & punctum veræ metæ in se retinet immotum, cuius Judex Index est & Conservator, quoinde vera ad punitum illud via propterea non præcluditur, quamvis pars sui, vel erroris judicantis saepe damnum ferat.

## §. VI.

Ponamus Advocatum, ubi hæreditatis petitionem instituere contra cohæredes debuisset, rei vindicationem, ob certos agros ad hæreditatem pertinentes, instituisse, negare vero possessorum se agros illos possidere, actoris erit tunc aut possessionem probare aut Dominium: ubi si probatio non succurrerit, sub clypeo justo succumbet, qui, si hæreditatis petitionem instituisset, probato suo cliente hærede, divisionem inter cohæredes factam in adversarium (cohæredem se confidentem) transtulisset. Ab hoc exemplo patet, Advocatum clientum intentioni se conformantem tantum petuisse, quantum hi credi-

crediderunt ex hæreditate (v. gr. paterna) ad se pertinere: interim deficiente probatione succumbet, quamvis jus in agris petitis non deficiat: Nemo ergo dicet, hæreditatis possessorem inde jus accepisse, quotam cohæredi prædetentam sibi servare, ubi nota injustitiæ ei multo magis, ob denegatam parificationem juris sui erga jus cohæredis, continuo adhæret. At hactenus tamen actor sui erroris vel Advocati respexitivè damnum fert, justitia manente integra, quæ prædetentionem quotæ, cessante renunciatione vel tacita, nunquam approbat, sed in se virtus illibata manet.

### §. VII.

Quæ cum ita sint, credit quidem, ob præsumptionem pro vincente, Judex, causam esse justè decisam; Attamen suo judicio sic succumbenti hac sua probabilitate potestatem in lædentes non aufert, sed, si vincens possessor, tamdiu eum tuetur, donec hæc meliori remedio evicta, aut, si victus possessor, restitutionis ab hoc Justitia doceatur, quæ fundamentum est tam appellationis, quam amissæ [ex mala juris applicatione] causæ in integrum Restitutionis, ad quam Prætores Romanorum admodum erant

proclives, si restitutionis causa afferebatur justa,  
& inde Libellum mutare hypotheticè concedebant.

### §. VIII.

Totum quod Restitutione queritur, consistit in disceptatæ causæ ad novam disceptionem admissione, quæ prior si culpa amissa tali quæ projectionem olet, eandem non assequitur; at conceditur hac exclusa tum semper, ubi lucrum alterius injustum cum damno restituendi est ostensibile. Regula enim generalis est, neminem esse laedendum, & à Judice jus suum cuique, ut honestas publica sarta maneat atque recta, tribuendum.

### §. IX.

Quodsi inde Advocatus linea fallat, causa ipsa nihilominus suum retinet punctum quod assequi decrevit, adversarii autem sagacia vel sua ignorantia, petere fuit impeditus. Unde, quum culpa non semper adeo imputanda, ut alter privatus in re prædetenta jus nanciscatur, redditus ab abvio ad veram viam nunquam denegandus, nec contra Advocatum errantem semper competit actio, quæ prædetentori nec debet esse proficia.

### §. X. Dam-

## §. X.

Damnum enim quod Advocatus inde sentiret, cum re ipsa nullum commercium haberet, quippe quod detentorem non justificat, sed jus querulantis relinquit salvum.

## §. XI.

Quum igitur Justitia habendi fundamen-tum sit, cur Restitutio in integrum à Superiore sit decernenda, essentia juris administrationis seu Judicis in ea consistit & hinc primum est, quod quis de Judice sibi concipit; nimirum ut paratus sit Jus suum cuique tribuendi, quod fieri non posset, nisi simul esset promptus in via recta erranti, meatum ad principium illius redeunti toties concedere, quoties erroris sui causas habet vel fatuas non calumniosas: quippe quum illud quod rem activam reddit aliquid operandi ejus natura dicatur, Judex autem ex mera Justitiae administratione talis sit, sequitur Justitiae hanc administrationem naturam esse Judicis qua talis.

## §. XII.

Quocunque itaque in Judice qua tali funda-tum est, hoc necessarium etiam est intuitu ejus-dem, & quod in eo fundatum non est, id etiam

ex

ex eo non sequitur , & inde necessario eum in locum non Judicis reponeret , & eundem justitiae administrationis privaret.

### §. XIII.

Jam supra (III.) memini , justitiam , inter se & objectum , habere & requirere harmoniam , ubi simul probavi Judicem tantum ejusdem esse indicem (V.) Dum itaque nec minus pateat , eum tantum locum quasi dicere quem partes assentientur , solum id hic inquirendum ; unde illa harmonia inter justitiam veniat & objecta , & cur de objecto solum non de causa justitia praedicitur objectum hoc dirigens atque determinans ?

### §. XIV.

Evidem forma processus justa , injustam in re i. e. objecto litis , sine Judicis culpa , sententiam saepe producit , ratione Judicis adeoque justam , ratione partium litigantium vero iniquissimam : Sed facile patet , medium terminum in causa esse syllogismi veritatem tegentis , causam itaque aut justitiam tangere aut ab eadem recedere , si hoc , minimè fieri poterit , ut vel notio Justitiae ad rem inde proficiatur , quæ causæ falsitate tecta se sub velo quasi retinet , & Judici præ-

præsumptionem tantum pro detentore relinquit : causa enim harmoniæ inter justitiam & objectum latet in Puncto Metaphysico indivisibili , necessitatem moralem occultante & unicam causam tantum , & quidem in se ipso agnoscente , causam ipsam tamen non stringente , quæ simul politicæ inservit , sicque scaturiginem variorum Jurium gignit , attamen omnia juxta se injusta damnat.

### §. XV.

Ubi ergò Advocatus , suo argumento falsam causam tribuit , à justitia omnino defleget , nec unquam , nisi revertatur , eandem assequetur , sed prædetendor hactenus inde sub argu- mento probabili securus erit , justitia muta pa- tiente , & parificationibus jurium erga se invi- cem quiescentibus .

### §. XVI.

Quamvis hæc quies morbosā ad rei mor- tem contribuat plurima ; nihilo tamen minus justitia vivit æterne , quæ mediis non destituta , regularum à se abducentium vel correctiones vel mutationes facile concedit , nec tamen quendam invitum cogit ; Sed quemlibet magis suæ igno- rantiæ invita committit .

B

### §. XVII.

## §. XVII.

Quoniam Judex Justitiae est Minister atque Sacerdos, hanc colit, sententiaque sua, sive rei veritati conveniat sive disconveniat, semper fo- res aperit in foro, ut de eadem certantes ali- quando damno suo viam rectam ad metam, in- veniant, & hinc errores ubique corrigere, vel per appellationem, vel per nullitatis querelam, vel per Restitutionis remedium, (de quo hoc loco mihi sermo) itemque Revisionis, occa- nem habeant. Quod si inde Advocatus errore ductus opinatus fuerit, ex pacto vel Transactionis Jure vincere, ubi pacto tacitum retentum sub- fuit, sanè sub l. 25. ff. *de Probation.* succumbens, appellare, & si demum re judicata, vel coram eodem Judice vera causa edoctus, ex regulis successionis suo clienti deberi viderit, petitâ à Judice quolibet competente restitutione, opitula- bitur eidem. Nec res sub conditione judicata officiet, quæ civilis est, cum hoc remedium na- turale sit, à Prætore ex æquitate, licet circum- scripte ubique concessum.

## §. XVIII.

Nec unica semper restitutione absolvitur, sed tot sunt restitutions, quot committuntur erro-

errores, l. 54. ff. de R. V. l. 4. Cod. de Jur. & Facti Ignorant. Si quidem communis distinctio, quod error intra triduum corrigendus post triduum probandus, post rem judicatam penitus non debeat attendi, non solum omnimodam præclusionem non vult & de errore calumnioso intelligenda, sed etiam tam periculosa foret, quam illa, quæ erroris allegationem arbitrio Judicis tribuit, ut puta, cuius regulariter non est arbitrari, sed secundum leges judicare.

### §. XIX.

Confirmat hæc Gordianus Imperator in l. 2. Cod. de Errorre Advocatorum expressè: in verb. *Errores eorum, qui desideria, i. e. Preces scribunt, veritati præjudicium afferre non posse, manifestum est.* Et ideo si condemnationem, cuius mentionem Libello insertam esse proponis, manifeste probare potes non intercessisse, allegationes tuas lædi non oportere, is, qui super negotio disceptaturus est, non ignorabit. Quamvis enim Imperatores Diocletianus & Maximianus in l. 3. Cod. ejusd. Tit. finita Judicia, rescriptis nolint revocari, ne quidem ex clausula, quod Advocatorum error litigatoribus non noceat. Pœnæ tamen loco hæc solum sunt constituta, in casu er-

roris supini , quem pars scivit , non quem igno-  
ravit , ut proinde Imperator Justinus in l. 13.  
§. fin. Cod. de Judic. ea determinet , ad casum ;  
ubi contra ex errore agentes res integra sit , se-  
cus Restitutionem concedens , secundum §. VIII.  
& IX. rationabiliter subordinate & practicè in-  
terpretandam.

### §. XX.

Quodsi autem error Advocati partibus non  
nocet , nec idem in formalibus eisdem præjudi-  
cabit , qui restituzione in eam conditionem rece-  
dunt , qua erant ante errorem : Etenim licet er-  
ror non sit invincibilis ; sed actionibus liberis ac-  
censendus , adeoque imputandus ; Hæc tamen  
locum solum habent , in casu quo delinquitur ,  
non quo suum jactatur , & alterius culpa intra  
tempus legale exceptionem à regula suppeditat ,  
vi cuius in pari causa , ob præsumptionem pro  
honestate , melior est conditio possidentis ,  
adeoque & læsi.



